

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae
Christiana. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De
Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.
Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

Cap. VI. Quid agendum post Missam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

C A P . VI.

Quid agendum post Missam.

§. I. *Discessus Sacerdotis ab Altari, & quædam exercitia post Missam.*

Quia finis bonorum operum debet esse gratiarum actio, ab Altari post sacrum discessurus Canticum incipis trium puerorum, quo ad gratias pro tanto beneficio Deo agendas omnes creaturas invitas. Ipsum itaque recitabis dum pergis in sacristiam, dum te sacris vestibus exuis, omni possibili devotione atque ardentissimo affectu Deum benedicendi & superexaltandi proptet ipsius infinitam bonitatem. Quo absoluto in persona Ecclesiae, quæ illo concludi sacrificium præcepit, in locum te recipies ab omni strepitu & distractione remotum, in quo clauso ostio cordis tui, cæterisque cogitationibus exclusis soli Deo vacabis, nec ab eo recedes donec benedixerit tibi. Sunt quædam orationes variis affectibus plenæ, post Missam recitandæ, quas sancti Doctores Thomas & Bonaventura composuerunt. Has si devotè & sedatè recitaveris, ponderatis verbis & sensibus, non erunt inutiles & infructuosæ. At si eas celeriter percurreris, ut nonnulli solent, statimque recesseris, nulla protracta cum Christo mora; vide & considera, quam plenè tuæ conscientiæ satisfacias. Nullum certè pietatis sensum habere convincitur, qui non libenter cum Deo manet. Nec valent prætextus negotiorum vel studii, quibus se tepidi excusant: quod enim gravios & utilius negotium, quam de animæ salute cum Deo tractare? Vel quid possunt docere libri, quod non Deus præsens melius doceat? Sicut igitur post prandium necessaria est quies à negotiis & laboribus, ut nativus calor cibum subigat, & in substantiam aliti convertat; ita post hoc convivum quies requiritur ab externis & humanis occupationibus,

ut divinum sacramentum vim suam & virtutem in animam diffundat.

Et primò quidem diversarum virtutum actus elicies: *Fidei*, confitendo Christum à te susceptum, esse verè Deum & hominem, cuius divinitati & humanitati ea omnia convenient, quæ credit & docet Ecclesia. *Spei*, sperando ab eo multa bona naturæ, gratiæ & gloriæ. *Charitatis*, elicito erga illum ferventissimo amoris affectu: gaudendo quod ejus Divinitas tantæ sit eminentiæ, ut nullo modo comprehendendi possit: dolendo quod tot peccata contra illum & tu olim commiseris, & passim committantur. *Humilitatis*, considerando quis venerit, & ad quem: ponderando magnitudinem hujus beneficij, attentis peccatis tuis præteritis, statu præsenti, & perfectissimo gradu vitae spiritualis, ad quem tendere debes, & à quo adhuc longissimè distas. *Desiderii & Zeli*, optando ut cessent peccata, impii convertantur, justi multiplicentur & proficiant, & Deus ab omnibus glorificetur.

Deinde quinque sensus internos animæ circa Dominum præsentem exercebis. Et primò inspice illum in te, ejus majestatem, & splendorem, manusque, pedes, & latus cum quinque splendidissimis vulneribus: aspice quod ipse sit Deus, splendor paternæ gloriæ, & figura substantiæ ejus, tam excellentis pulchritudinis, ut omnes ipsum videntes beatos faciat. Concipe affectus nunc reverentiæ & humilitatis, avertens oculos à conspectu tantæ majestatis: mox gaudii & exultationis: tum laudis, & gratiarum actionis. 2. Audi quid loquatur in te, & disce ab eo veram morum emendationem, & veras virtutes. 3. Percipe odorem virtutum ejus & post eum curre, atque illum imitare: considera quoque quanta sit fragrantia oblati sacrificii, quod suavissimè olet æternō Patri. 4. Gusta quam suavis sit Dominus, & dulcissimo convivio corporis & sanguinis ejus recreatus, propone mundi vilissimos cibos nunquam amplius degusta-

xercitia
tiarum
nticum
bene-
itaque
estibus
o affe.
ipius
clesiae,
te re-
in quo
xclusis
dixerit
e, post
& Bo-
reci-
t inu-
s, ut
tracta
nè tuæ
m ha-
. Nec
tepi-
rium,
d pos-
s do-
uies à
igat,
vum
ibus,

ret cumque ipse sit summa jucunditas, statue de cætro non affici erga aliquam creaturam. §. Tange eum, & ora ut perlustret cor tuum & omnia interiora tua, & virtus de ipso exeat ad sanandum & vivificandum quicquid morbidum & vitiosum in te repererit: Pete etiam humiliter osculum ejus & dic cum sponsa, *Osculetur me osculo oris sui;* & suspira ad intimam cum ipso unionem. Oscula quoque spiritualia figes pedibus, manibusque transfixis, & cæteris membris, quæ gravioribus tui causa doloribus & vulneribus excrucianta fuerunt.

His demum alia exercitia adjunges, vel quæ infra describuntur, vel quæ tibi devotio suggesserit, quibus peractis, singulari cura cor tuum & sensus custodire satages, tantam Dei dignationem crebrò per diem in memoriam revocabis, piis affectibus & aspirationibus acceptam gratiam conservabis, atque in omnibus te ita geres, ut in Christum, quem suscepisti, omnino transformatus videaris, virtutum ipsius imitatione, morum gravitate, & rerum omnium abdicatione.

§. II. Actus Amoris post Missam.

AMo te, Domine Jesu, jucunditas mea, & requies mea; amo te summum & unicum bonum meum ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex totis viribus meis: & si tu vides me in hoc deficere, saltem desidero amare te; & si satis id non opto, saltem desidero id multum desiderare. Succende, Domine, igne tuo ardentissimo viscera mea, & quando quidem non nisi amorem petis à me, da quod jubes & jube quod vis. Nisi enim dederis mihi velle & perficere, peribo utique in infirmitate mea. Sonet vox tua in auribus meis, vox illa dulcissima & efficacissima? Volo. Nam si vis potes me mundare, & illuminare; potes me ad supremum amoris gradum elevare. Sicut voluisti pro me pati & mori; ita etiam velis, ut appareat in me fructus passionis & mortis tue. Memento verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti:

dedisti: tu enim dixisti. Qui manducat meam carnem & babit meum sanguinem, in me manet & ego in eo. O dulcissimum verbum, tu in me, & ego in te! O quantum amor, tu in me vilissimo peccatore, & ego in te, Deus meus, cuius maiestas incomprehensibilis est! Unum est mihi necessarium & hoc solum querere, in te vivere, in te quiescere, a te nunquam separari. Felix est, qui te querit, felicior qui te possidet; felicissimus qui in hac possessione perseverat & moritur. O dies infelices, quos turpiter transegi diligens vanitatem, & recedens a te! Et nunc Domine, qui venisti in hunc mundum, ut peccatores salvos faceres, redime animam meam in sola fiducia miserationum tuarum respirantem, & aufer a me omnia amoris tui impedimenta. Procul sit a me omnis terrena delectatio, nihil sapiat mihi, nihil me alliciat nisi tu. Vive & regna semper in me, fidelissime amator animae meae, in te enim sunt omnia bona, & jam deinceps paratus sum omnia potius mala perpeti, quam ut unquam cessem amare te. O corpus sacratissimum quinque vulneribus sauciatum, pone te ut signaculum super cor meum, & imprime illi charitatem tuam. Obsigna pedes meos, ut sequar vestigia tua; obsigna manus, ut bona semper opera exerceam: obsigna latus, ut ferventissimos amoris tui actus proferam in eternum. O sanguis pretiosissime, qui omnem hominem abluis & purificas, lava animam meam, & pone signum in faciem meam, ut nullum praeter te amatorem admittam. O dulcedo cordis mei & vita animae meae, sicut tu in Patre, & Pater in te est; ita ego per gratiam tuam unus tecum sim amore & voluntate: mihius mundus crucifixus sit, & ego mundo. Amen.

s. III. Gratiarum Actio post Missam.

Gratias tibi ago, benignissime Deus, quod me vilissimum peccatorem admittere dignatus sis ad vivendum tuae mensae convivium. Et quis sum ego pulvis? &

C. Bona Opus. Spirit.

S

cinis, ut apponeres erga me cor tuum, inclinans cælos
tuos & descendens, ut sanguine tuo purissimo fordes
meas lavares, & deficienter p̄fame animam meam,
non manna de cælo, sed carne tua immaculata reficeres
& satires. Si cæli cælorum te capere non possunt, &
Angeli non sunt mundi in conspectu tuo, quis ego sum,
& quæ domus mea, ut ad me venire, & indignis ma-
nibus meis contrectari, ac in me commorari volueris?
Quid in me invenisti, rex tremendæ majestatis, quod à
templo gloriæ tuæ traheret te, & descendere faceret in
abyssum miseriarum? Vos Angeli sancti, vos omnes
electi Dei, venite, audite, & narrabo vobis, quanta fe-
cit Deus animæ meæ: cum enim essem pauper & abo-
minabilis, nec auderem oculos meos levare ad cælum
p̄æ multitudine iniquitatum mearum, ille me de pulve-
re suscitavit, erexit de stercore, ut federem cum Princi-
pibus, & de mensa ejus comederer omnibus diebus vi-
tae meæ. Gratias illi agite ex me vos amici mei fidelissimi,
ego enim puer sum, non annis, sed sensu, & nescio lo-
qui, nec verba invenio, quibus possim, ut par est, tam
copiosum munus gratiæ extollere, & prædicare. Quis
enim amor infinitæ charitati ejus à me reddi potest, qui
frigus & gelu dici, non autem amor mereatur? Quæ laus,
quæ adoratio, quale obsequium meum erit, quod nul-
lum non reddit infinita ejus perfectio & dignitas; &
ima ac summa indignitas mea? Sed tu Domine misera-
tor & clemens, & immensæ bonitatis, tu nosti figmen-
tum meum, nec despicies humillimam gratiarum aëctio-
nem, quam tibi offero de paupertate mea, & sacri-
cium laudis meæ honorificabit te. Tua est magnificen-
tia, tua est gloria, & tibi laus in perpetuas æternitates
pro tam excelsa & incomparabili beneficio. Tibi laudes
concinant, tibi mecum gratias agant universi populi,
tribus & linguae; omnes Angeli & Sancti tui, quo-
niam misericordia tua magnificata est super me, & mi-
serationes tuæ super omnia opera tua. Jubilent tibi om-

nes creaturæ, quæcunque cæli, terræ, & abyssi ambitu continentur, & laudem tibi perpetuam dicant, quæ à te exiens in te refluat omnium rerum principium & finem. Jubilent tibi & gratias agant cor meum & anima mea, vires, sensus, potentiae, & omnia membra corporis mei: tibique soli sit honor & gloria, à quo, per quem, & in quo omnia: qui es Deus benedictus & laudabilis in sæcula sæculorum. Amen.

s. IV. Oblatio post Missam.

Servus tuus ego sum, Domine Deus meus, & pro tributo servitutis meæ aliquid tibi offerre vellem, quod majestate tua dignum & acceptabile foret: sed excedit omnem facultatem meam debitum meum, quia tantum tibi debo, quanti tu vales, qui infinitus es. Et ex me quidem nihil possum, nihil sum: habeo tamen ex gratia tua donum præclarissimum, quod nullo modo recusare potes: habeo dilectissimum filium tuum Dominum meum Jesum Christum, qui ita se mihi communicavit, ut ego in illo, & ille in me sit. Quare verba Prophetæ tui aptissime usurpabo & dicam; *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nominis sancto ejus.* Ipse enim Filius tuus dignè pro me nomini tuo benedicet, teque amat, & glorificabit, nam intra me sacramentaliter existens factus est unum mecum, & ego unum cum illo. Ipsum igitur offero tibi velut thymiana suavissimi odoris ad maximam tui gloriam & honorem, in gratiarum actionem pro universis beneficiis tuis; in remissionem peccatorum meorum, & totius mundi; ad impetrandum mihi & omnibus, pro quibus oravi & orare debeo, omnia subsidia vitæ temporalis & æternæ, & pro animabus omnium fidelium defunctorum. Suscipe, Domine cum hac sacratissima oblatione animam meam, & corpus meum, omnes vires & affectus meos, ut sim perpetuum holocaustum jugiter ardens Majestatis tuæ. Præsta ut deinceps nec membra, nec sensus, nec potentias, nec

Sl ij

vitam habeam, nisi ut te amem & serviam tibi. Tu sapientia mea, tu lux mea es; tu fortitudo mea & robur meum: doce me, illumina me, corrobor me, ut cognoscam & faciam voluntatem tuam. Offero me tibi in servum perpetuum, meque totum resigno in beneplacitum tuum, abjecta de me omni cura & sollicitudine. Quicquid mihi evenire permiseris, à divina manu tua amantissimè suscipiam. In tempore & in æternitate id volo, quod tu ab æterno de me decrevisti, sive prosperum illud sit, sive adversum. Vivat semper & regnet super me beneplacitum tuum, quod in omni verbo, actione, cogitatione, & levissimo quoque motu implere desidero. Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Desunt enim mihi verba, quibus explicem affectum meum, sed projicio me in ardentiissimam fornacem amoris tui, quo succensus ad me venire dignatus es, & mansionem apud me facere. Succende me Domine, inflamma cor meum, viscera combure, ut jugiter tibi ardeam, in te vivam, & in te moriar. Amen.

§. V. *Petitiones post Missam.*

DUlcissime amator, Domine Jesu Christe, qui me corpore tuo immaculato, & pretiosissimo sanguine refecisti, ignosce obsecro indignitati meæ, & quicquid deliqui in hujus Missæ celebratione misericorditer indulge. Agnosco enim & confiteor præsumptionem meam, quia ad hoc tremendum mysterium accedere ausus sum sine debita præparatione, reverentia, humilitate, & charitate. Respice in me oculis misericordiæ tuæ, & supple excessu meritorum tuorum meam nimiam imperfectionem. Heu quotidies venisti ad me, ut pauperrimam animam meam donis tuis locupletares! Ego autem contempsī te, & abii in regionem dissimilitudinis post prava desideria cordis mei. Cumque inutiliter dissipata omni substantia ad te nudus & fame consumptus reversus sum, tu suscepisti me, & omnium iniquitatum mearum

oblitus es. Bonum mihi quod amasti me amore æterno & infinito: nisi enim infinita esset bonitas tua, nullo modo posses tolerare miseriam meam. Vincat igitur & absorbeat bonitas tua malitiam meam. Riga me lacrymis, quas fudisti pro me; unge me myrrha doloris tui, astringe vinculis, ablue sanguine, cruce erige, morte vivifica. Penetret amor tuus viscera mea, & omnem alienum amorem expellat. Abscedat phantasmatum multitudo, meque totum in te transforma, ut in te pereat omnis substantia mea, meque amplius non inveniam nisi in te. Imprime cordi meo amorem crucis & humiliationis, qui ut me redimeres nec uno quidem momento sine cruce esse voluisti. Ne patiaris me sine fructu à te recedere, sed operare tecum mirabilia tua, sicut cum sanctis tuis operatus es: & fac me ambulare in fortitudine cibi istius usque ad montem perfectionis. Succende me ignita via amoris tui, ut sim recum consummatus in unum, omnino abstractus à me ipso, & ab omni creatura. Omnibus quoque famulis tuis, pro quibus obtuli hoc sacrificium, & pro quibus orare debeo, seu tu rogari vis, da pacem, salutem, & tuam benedictionem. Converte miseros peccatores ad te, revoca hæreticos atque schismaticos, illumina infideles te ignorantes. Adesto omnibus qui in aliqua necessitate, & tribulatione constituti sunt. Esto propitius propinquis & benefactoribus meis. Miserere omnium adversantium mihi, vel qui me aliquia molestia affecerunt. Sucurre illis qui se meis precibus commendarunt. Da vivis veniam & gratiam, da fidelibus defunctis lucem & requiem sempiternam. Amen.

s. VI. *Aspirations post Missam ad B. Virginem, Angelos, & Sanctos.*

Respice in me, Gloriosissima Virgo Maria, quia dignum obiectum oculorum tuorum nunc factus sum. Loquere pro me bona dilectissimo Filio tuo, qui me corpore & sanguine suo suavissime refecit, & offer ei

Sf iij

merita tua in supplementum imperfectionis meæ. Gratiæ age ei pro me, & impetra mihi ut sacramentali sua præsentia non discedat à me, nisi relinquat post se animæ meæ largissimam benedictionem.

Angeli sancti, ministri Dei altissimi, facientes verbum illius, aspicite Primogenitum Patris æterni, quem introeuntem in orbem terrarum Iuslum Patris adorastis, & facite me in eo spiritu & veritate illi servire, qua vos eidem in hac vita ministrastis, & nunc in cœlesti patria servitis.

Sancti Patriarchæ & Prophetæ, viri desideriorum, consciæ secretorum Dei, intuemini promissum ab initio mundi Redemptorem, quem tam ardenter desiderastis, & tanto tempore expectastis, nec videre potuistis: facite me toto affectu ad ipsum suspirare, ut reliquæ promissiones eius fideles inveniantur, & sentiam promissos huius sacramenti effectus.

Apostoli Iesu Christi, ejusque Evangelii clarissimi Prædicatores, aspicite in me ipsum dilectissimum magistrum vestrum, quem tantoperè dilexistis: & impetrare mihi ut intimis visceribus ipsum super omnia amem, ejusque fervoris particeps fiam, quem tunc experimentaliter gustastis, quando hoc cibo de manu ejus refecti fuistis.

Invictissimi martyres, Christum respicite crucifixum, pro cuius amore sanguinem vestrum tam libenter fudistis, ipsumque orate, ut me semper in cruce vivere & mori faciat, quatenus vicem quam possum ejus dilectioni rependam.

Beati Pontifices, dominici gregis pastores, Agnum cernite immaculatum, quem omnipotenti Deo in sacro altari toties immolaistis; & vestris precibus facite me tanti sacrificii dignum ministrum, ut meipsum bonis operibus perpetuò immolem tam sacræ oblationi associatum.

Servi fideles Christi, sancti Monachi & Eremitæ, videte dulcissimum Dominum vestrum; pro quo omnia

huius mundi oblectamenta , & affectu & re ipsa reliquistis ; & facite me pro ejusdem amore prospera mundi despicer , nulla eius adversa formidare , & ad fastigium sanctitatis quantocius pervenire .

Purissimæ Virgines , sponsum vestrum intuemini , cui cum summa exultatione Virginitatera vestram consecrasti , illibata mibi mentis & corporis puritatem obtinete , vt hujus vitæ cursu peracto mundus ab omni labore in conspectu Domini merear praesentari .

Omnes Sancti & Sanctæ Dei , consolatio pauperculæ animæ meæ , vos praesertim patroni & protectores mei , aspicite magistrum , auctorem , & præmium sanctitatis vestræ , ac universam vestram felicitatem intra viscera mea manentem , mihique ab ipso , cui vos tanto-perè verbo & exemplo in hac vita conformastis , vestris intercessionibus impetrare , ut vestra semper vestigia sequar , & ut ad scopum mihi propositæ perfectionis , ac tandem plenus meritis ad vestrum merear consortium pervenire .

CONCLUSIO EXERCITIORVM POST Missam.

A Nima Christi sanctifica me : Corpus Christi salva me : Sanguis Christi inebria me : Aqua lateris Christi lava me : Passio Christi conforta me : O bone Iesu exaudi me : Intra tua vulnera absconde me : Ne permittas me separari à te : Ab hoste maligno defende me : In hora mortis meæ voca me : & jube me venire ad te : ut cum sanctis tuis laudem te , in sæcula sæculorum . Amen .

Recedo á te modicum , Domine Jesu , sed non sine te ; consolatio , felicitas , & omne bonum animæ meæ , & me amplissimæ dilectioni tuæ cum omnibus fratribus , amicis & inimicis meis humillimè commendo . Ama nos , Domine , & transforma quam simillimè in te . Totus occuper in te , & propter te , nihilque sit objectum verborum

Sf iiiij

actionumque mearum internarum & externarum , nisi tu
amor meus. Qui vivis & regnas per omnia secula sæcu-
lorum. Amen.

s. VII. Cur multi ex frequenti celebratione non proficiant.

CUm multi sint Sacerdotes ; qui frequenter , multi
Cetiam qui quotidie celebrant ; & nihilominus hu-
jus vivifici ac divini sacramenti admirabiles fructus non
percipiunt , necessarium procul dubio est tanti mali cau-
fas investigare. Unde enim in cura salutis tanta tepiditas ,
tanta in studio perfectionis negligentia ; cum dicat Chry-
sostomus oportere nos ab hac mensa recedere dæmoni-
bus terribiles , & ignem omni ex parte spirantes ? Si
Deus noster ignis consumens est , venitque in terras
suam ignem ferens , qui ardeat & omnium corda com-
burat : cur ipso intra nos recepto , nec frigus à nobis
expellitur , nec ardorem ejus sentimus ? Nonne mortis in-
dicium est , vel gravissimæ ægritudinis ignem habere in
situ , & omni calore destitui ? Si olim non potuit co-
ram arca Domini statua Dagon subsistere , sed statim cor-
ruit & contrita est : cur Christi præsentia amoris proprii
tyrannicè in anima dominantis idolum non atterit & con-
fringit ? Cur tanta Christi demissio superbiæ spiritum non
elidit ? Cur tanta ejus mansuetudo iram non compescit ?
Cur tantus amor ad ejus sequenda vestigia non impellit ?
Effectus Eucharistiae sunt præservare à peccatis , augere
gratiam , terrenorum odium infundere , ad æternorum
amorem mentem elevare , illuminare intellectum , suc-
cendere affectum , conferre animæ & corpori purita-
tem , conscientiæ pacem & lætitiam , atque inseparabi-
lem cum Deo unionem . Plerique tamen post frequen-
tem celebrationem his effectibus non fruuntur , ad quos
nimis spectat Aggæi Prophetæ objurgatio dicentis ,
Comedistis & non estis satiati : bibistis & non estis inebriati. Defectus autem non in cibo & potu est , sed in pra-
va edentis & bibentis dispositione . Et hæc prima tanti

mali causa est, quia aliud comedimus aliud esurimus: co-
medimus panem Angelorum, & immundorum anima-
lium siliquas esurimus, deteriores Israëlitis, qui dum man-
na comederent in deserto, ad ollas Ægypti suspirabant.
Quid igitur miramur, si fauces amaritudine infectæ mel-
lis dulcedinem non percipiunt? Purganda est anima à
delectationibus carnis & sensuum, à tepiditate, ab om-
ni affectu ad creaturas, ut possit divinum sacramentum
suos in ea effectus operari. Nam cor terrenis occupatum
delectatio sancta declinat, nec datur divina consolatio ad-
mittentibus alienam.

Altera causa est omissione necessariæ preparationis: ple-
rique enim ad tantum ministerium accedere non veren-
tut perfunctoriè, ex consuetudine, ex motivo humano,
lucri potius quam devotionis causa, non considerantes
quanti oneris sit vel semel celebrare. Cum vir Apostoli-
ci spiritus Joannes Avila quendam Sacerdotio paulò
ante initiatum immatura morte decepsisse audisset, sta-
tim quæsivit num aliquando celebrasset: respondenti
verò semel dumtaxat; Multum inquit deferet ante Ju-
dicem. Timere itaque oportet quia nemo dignè Sacer-
dotio fungi, nemo hujus sacramenti fructus percipe-
re potest, nisi, quantum fert humana fragilitas, se ad
illud disponat ea puritate, amore, & devotione; quæ
supra à nobis explicatae sunt.

Tertia demum causa est, quia multi sacro peracto ad
exteriora statim divertunt, nec sinunt ut sacramentum
suam in eis virtutem exerceat. Isti revera gratiam Dei in
vacuum recipiunt, nec de mensa cœlesti fructum repor-
tant; quia tantum Dominum ad se venientem indignè
excipiunt, nec reverentur; aut gratias agunt: imò proti-
nus ab eo recedunt ipsumque contristant, majestatem
ejus, & incomprehensibilem dignitatem parvipendentes,
nec advertentes quanta sit fœditas, vilitas, & miseria
ipsorum ad quos venire dignatus est. Quod si adhibita
omni diligentia ad dignè & devotè celebrandum, con-

tingat aliquem hujus convivii fructibus minimè perfrui, id admirabili sapientiæ Dei adscriendum est , qui hoc permittit , ut suæ industriæ non tribuat homo hoc gratiæ donum , sed cautè illud custodiat , & se illo semper indignum profiteatur.

C A P . VII.

*Praxis celebrandi , cum quis prolixius
orare non potest.*

§. I. *De Preparatione.*

QUAMVIS humana negotia divinis functionibus nullo modo æquari , nec dum præferri debeant : quia tamen sunt aliqui sacerdotes publicis utilitatibus servientes , qui necessariis & inevitabilibus occupationibus ita aliquando detinentur, ut prolixius orare nequeant; brevem illis & expeditam praxim proponere necessarium duxi , qua uti possint , cum celebrare voluerint , ne minus dignè divinum sacrificium offerentes , ejus fructibus preventur. Hæc autem tria tempora complectitur , id quod Missam antecedit , id quo perficitur , & quod proximè subsequitur.

Ante missam præmittenda præparatio duplex , remota & proxima. Pro remota hæc servanda. Vespere præcedenti cogitet se die crastina hostiam salutarem omnipotenti Deo oblaturum , eique cogitationi indormiat. Addat brevem aliquem affectum reverentiae , amoris & desiderii. Sequenti die in eadem cogitatione & affectu evigilet ; caveatque diligenter , ne animus ita se negotiis immergit , & ad externa dilabatur , ut cum tempus celebrandi advenierit , ad se revocari & recolligi non possit. Proximè ante sacrum terrenis omnibus cogitationibus abjectis , omni- que seposita rerum agendarum sollicitudine , mentem erigat ad cælestia. Perpendat qua devotione se sentiat ad ce-